


kat.komp.
59530


Mag. St. Dr.

Praedicator Ord. Conv. SS. Trinitatis Veritas [illegible] [illegible]
i. e. Assertiones theologicae.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0001736

Cracoviensis Ordinis Praedicatorum
[illegible] Veritas scientifica / Quaestiones philosophicae
Dominici

VERITAS SCIENTIFICA,

à Præceptore Angelico

D. THOMA AQVINATE

QVINTO ECCLESIÆ DOCTORE,



Stylo Rosariano

E X A R A T A.

Immaculatissimæ Matri

VIRGINI

MARIÆ,

SACRATISSI^mi ROSARII

ADVOCATÆ,

Veritatis Propugnatrici,

In Generali Studio Cracouiẽsi, Conuentûs Sanctissimæ TRINITATIS, humili de corde, debiti Obsequij ergò

CONSECRATA.

Anno Domini 1681.

GRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

I. XXII. 29

Ego diligentes me diligo.



59530 III

Qui vigilauerint ad me inuenient me.

AVGVSTISSIMÆ
CÆLI TERRARVMQVE
REGINÆ,
DEIPARÆ VIRGINI
MARIÆ,
VNO DEO MINORI,
SSmi ROSARII ADVOCATÆ,
Sapientiæ Sedi, Scientiarum Fonti,
VERITATIS MAGISTRÆ
HYPERDVLIÆ, HONOREM.



Eridiano in ſole, Ægypciacis me circumdari tenebris credi-
diſſem, ſi ad TE VERITATIS MAGISTRAM, ô
VIRGO PRVDENTISSIMA *cum Veritate Scientifica*
non recurriſſem illuminandus. Indigniſſimus ſum qui me
ante TVÆ MAIESTATIS *præſentiam audeam ſiſtere;*
ſed TV ô SANCTISSIMA DOMINA digniſſima es,
quæ defectibilem Veritatem meam valeas cenſurare. Vera es ô MARIA;
ILLVMINATA, *quæ ab arcanis fidei penetrandis.* MATER CREDEN- Aug.
TIVM, *à futurorum vaticinio* ARCHIPROPHETISSA PROPHETA-
RVM, *à rerum naturalium cognitione,* PLENITVDO SCIENTIARVM
meritò appellaris. TV ô MATER VERITATIS, *Veritas es manifeſtatiua* Hilar.
& declaratiua eſſe Hominis DEI, *dum ex intellectu Æterni Patris Virgineo*
VERITATEM PROPAGATAM, *intra Virgineam Pudicitiæ Aulam ſu-*
ſcipiens, Diuinâ & Humanâ Natura in vnam coëuntibus Perſonam, Verum
DEVM *& verum* HOMINEM *genuiſti.* TV ô VERITATIS aſſertrix
MARIA, *Veritas es, ſummam* PRINCIPII *participans ſimilitudinem,* Aug.
cum in TE *Diuinorum Attributorum clariùs cognoſcantur, & meliùs per-*
cipiantur Inuiſibilia DEI. TV ô VERITATIS EXEMPLAR MARIA,

Ansel. *Veritas es, vitam nostram rectificans, Virtutes mensurans, Diuinæ Legi nos aptans, ac omnis perfectionis in se Rectitudinem demonstrans. Vnde* Quoties verum pronuntio, toties TE VIRGINEM commemoro. In TVO ô ROSA HIERYCHONTINA ROSARIO, Veritas vitæ, *perfectissimam voluntatis Diuinæ regulam adimplens. Ex* TVO ROSARIO Veritas Iustitiæ, *Pacis fœdera inter* DEVM *& Homines restituens. Per* TVVM ROSARIVM Veritas Doctrinæ, *cuius profunditatem Apostolis reuelasti, quam in se non solum simplici Scientiâ, sed ipso effectu, ipsoq; experimento didiceras. Igitur* ô GENITRIX VERITATIS MARIA, *cum nullus suauior animo Veritatis cognitione, cibus reperiatur, suscipe* TVAM *à me etsi vilissimo Veritatem; quam enim* TVVS Præco inconcussus THOMAS Aquinas, à TVA *Angelica haustam salutatione, mihi iurato suo discipulo tradidit veritatem, hanc in* TE *ô* SEDES SAPIENTIÆ MARIA *refundendam (quantacunq; sit) pernecessarium iudicaui, vt quæ Exordium Studiorum meorum extitisti, eadem sis & Epilogus,* TVARVM *Veritatum luce, duplices in quibus natus sum, tenebras peccatum s. & ignorantiam à me repellens, cor docile pro Mandatorum* FILII TVI *executione impetrans, & intellectum ad æternorum contemplationem tribuens. Non ego ô* PIENTISSIMA VIRGO *postulo cum* FVLBERTO, *cui vbera sugenda præbeas, non cum* DOMINICO, *quem mirificis aquis perfundas, non cum* ILDEFONSO *cui Sacram Vestem tribuas, non cum* HYACINTHO, *quem dulci alloquio digneris, non cum* HERMANNO, *quem* TIBI *despondeas, (quamuis hæc sint beneficia maxima, quorum ego ô* Sanctissima Domina, *indignissimum me reputo, quia homo peccator sum.) Porrò vnum est necessarium* ô CLEMENTISSIMA MARIA. *vt in omnibus meis actionibus, in Studio & Prædicationibus, in Virtutum profectu & defectibus, in solatiis & tribulationibus, in fama & opprobriis, in valetudine & infirmitatibus, in Vita, & in Morte, dum ante* FILII TVI *(non solum mendaces filios hominum in stateris, sed etiam ipsas Iustitias se iudicaturum promittentis,) astabo, Fallaciarum peccati rationem redditurus,* TVAM VIRGINEAM, MATERNAM, ROSARIANAM, PIENTISSIMAM, EFFICACISSIMAMQ; *exhibeas* PROTECTIONEM.

(Margin: Zerda. — Ansel. — Lactât. — D. Th. — Iustin. — Psal.)

Ad Sanctissimorum Tuorum pedum oscula supplico humiliter,

Vilissima Filii Tui Creatura

F. D. F. O. P.

VERITATES SCIENTIÆ RATIONALIS.

I.

RAtionalem Scientiam mensurari Ente Rationis tanquam Obiecto formali, deducitur. Tum ex proprio munere ipsius Logicæ, Quæ cùm sit argumentatiua, importat Vnionem maioris, s. & minoris extremi cum medio, quæ est Ens Rationis. Tum ex Directione actuum Rationis, intrinsecè ac Entitatiuè inhærente ipsismet Obiectiuis conceptibus. Tum ex Medio seu modo sciendi, ratione cuius Logica extendit se ad omne Ens scibile, sub propria ratione communi, vt condistincta à ratione communi, quæ est propria Metaphysices.

II.

SCientiæ Nomen & Rationem conuenire Logicæ edocet: Tum commune illud Axioma: De omni Sciendo & Scibili datur Scientia. Tum Habitus qui per se discurrens de Vniuersalibus, simpliciter debet esse scientificus. Tum Demonstratio per quam ipsamet acquiritur Logica.

III.

SPeculatiuam esse Logicam conuincitur. Tum quia est Obiectiuè de modis sciendi, per se ordinatis ad illuminationem intellectus. Tum quia eius principale & præcipuum opus, est Constructio Syllogismi intra limites Intellectûs Speculatiui contentum. Tum quia Logica cum sit per se de secundis Intentionibus adiunctis primis, in primis intentionibus; (prout à secundis sunt denominabiles aut denominandæ) solam habet materiam speculabilem.

IV.

INter Logicam Docentem & Vtentem fouet Vnitatem Habitûs: Partim ipsemet Logicus, qui vtens Logicâ, vtitur Docente, ad dirigendum scientificè. Partim vsus directiuus, Vtenti ac Docenti conueniens, ex proposito Obiecto intellectui vt ordinato. Partim ipsamet Logica Docens, quæ non tantùm est Doctrinam tradens sed & vsum docens, eadem stante facilitate, quæ æqualis est, tàm in Materia indeterminata, quàm in Materia determinata.

V.

AD alias scientias acquirendas ita simpliciter necessariam Logicam affirmamus, vt nullus sine illa haberi possit assensus, verè & substantialiter scientificus. Primò. Quia assensus verè scientificus debet cognosci talis vt talis est, id est vt cognoscatur quod illud per quod est, facit scire. Secundò. Quia assensui scientifico, cùm non debeat subesse falsum etiam apparens, non ostendente Logica Versutias sermonum, Syllogismus ordinariè eluderet assentientem. Tertiò. Quia assentiens scientificè, debet conuinci ad assentiendum, ex assensu Præmissarum, in tantum conuincente, in quantum est in Propositionibus Per se, quod docet Logica.

VI.

A Solo intellectu formari posse Ens Rationis, in Schola Doctoris Angelici certum est. Tum quia solus actus intellectus attingere potest non Ens, vt condistinctum contra Ens Reale, ad cuius instar attingitur. Tum quia solus actus intellectus potest comparare Non Ens ad Ens, vel Ens ad Non Ens. Tum quia solus actus intellectus attingere potest Ens Rationis, vt est Ens Rationis, ob solam repræsentationem eius, vt est aliud quid à Nihilo & ab Ente reali.

VII.

DAntur Vniuersalia in rebus siue Naturæ quæ denominantur vniuersales. Tum quia dantur voces vniuersales, ex suo significato vniuersalitatem trahentes, iuxta illud Propter quod, vnumquodq; tale & illud magis. Tum quia genus cum sit essentialiter in sua Specie, Animal v. g. non secundùm vocem, erit in homine identificatum, sed secundum Rem. Tum quia ex hoc quod homo naturaliter scire desiderat: non in vocibus, sed in naturis cognitionem suam occupat, vt scibilibus, ab hic & nunc abstrahentibus, in connexione Prædicatorum & passionum.

VIII.

VNitas quâ dicitur Natura formaliter Vniuersalis, ei non competit à parte rei, siue antecedenter ad Operationem præcisiuam intellectus. Tum quia datur aliqua Natura, v. g. Hostiæ consecrandæ quæ non habet talem Vniuersalitatem, quia alias manente hostiâ immultiplicatâ, hoc ipso quod transubstantiaretur natura hostiæ, in hostia B. deberet transubstantiari & in hostia C. Tum quia hæc Propositio simpliciter prolata, Petrus est Paulus, esset vera, hoc ipso quod Natura esset vna à parte rei vnitate communi; & solùm falsa in sensu modali, cum Petrus & Paulus non differant nisi in modo, seu hæcceitate. Tum quia si v. g. esset homo vnus vnitate vniuersali in indiuiduis à parte rei, & idem ac indiuisus, ex hoc quod; Vno saluato Indiuiduo Naturæ humanæ verificetur: *Saluatur homo*: oppositum inconueniens euidentissimè deduceretur.

IX.

PEr actum intellectus qui dicitur puræ Præcisionis, non fit Natura formaliter Vniuersalis. Tum quia Natura in statu puræ Præcisionis sub nulla determinata Specie Vniuersa-

uersalis reponi potest immediatè, nec sub determinato genere: cùm nihil sit sub certo genere quod non sit sub determinata Specie. Tum quia Natura in eo statu non est respectiua, quòd contradicit statui Vniuersalitatis. Tum quia, in eo statu carens aptitudine Natura, non est vnum in multis. Ex quo sequitur Vniuersale formaliter fieri per actum comparatiuum, ob rationes oppositas statui Præcisionis.

X.

COmpositio ex Genere & Differentia non est Compositio realiter formalis, siue ex Natura rei sed rationis tantum. Tum quia Genus & Differentia sunt eadem formaliter vni tertio s. Speciei. Tum quia v. g. in Ente simplici, in quo non adest Compositio ex Natura rei, adhuc distingui potest Ratio Entis vel Entis simplicis & Ratio talis Entis siue Entis taliter simplicis. Tum quia Pars componens non esset simplicior Composito: cùm genus per hoc quòd sit Genus, conueniat & per hoc quòd sit tale Genus, differat.

XI.

POtest Natura specifica Angeli, fieri Vniuersalis, seu Intentionem habere Speciei Prædicabilis, quamuis in ea plura repugnent indiuidua. Tum quia Natura Angelica v. g. Gabrielis, potest in eo statu poni, in quo ad plura comparari potest per prædicationem sub conditione concepta; quod incompatibile est cum Natura Angelica vt singulari. Tum quia Natura Angelica cum possit abstrahi à suo Indiuiduo, potest habere prædicatum latius patens & alijs à subiecto conueniens facta suppositione si essent. Tum quia Vniuersalitas cùm non competat Naturæ secundùm se, sed secundùm certum Naturæ statum, ideò Angelicæ Naturæ id repugnat ratione indiuiduationis tantum, sed conuenit ratione abstractionis.

XII.

SEcunda Intentio Differentiæ, non est vniuocè communis Differentiæ Proprijssimæ Propriæ & Communi, sed Analogicè. Tum quia Natura, seu forma sub ratione Facientis Differre, participatur simpliciter à Differentia Proprijssima, ab alijs autem secundum quid; nam pariter de Relationibus ac ipsarum fundamentis est discurrendum. Tum quia v. g. Differentia Communis cum vniuocè participet rationem quinti Prædicabilis, si vniuocè participaret Intentionem tertij Prædicabilis, vtriusq; Prædicabilis in sui Definitione deberet exprimere fundamentum. Tum quia ex hoc Axiomate. Idem est quod constituit & quod facit differre: infertur Inæqualitas inter prædictas tres Differentias, cum Intentio Constituentis reductiuè solùm & in obliquo participetur à Differentia Communi, cùm hæc vt potè Accidens & Entis Ens sit additamentum Constituti, iam verò à Differentia Proprijssima, Intentio Constituentis Directè, in recto & per se participatur.

XII.

PRopositiones Contradictoriæ de futuro Contingenti non sunt determinatè veræ vel falsæ. Tum quia nondum extante Causa veritatis, s. Causa futuritionis rerum, prout determinata ad dandum esse, essent determinatè veræ vel falsæ, iam essent tales pro omni rationis signo, sicut pro omni signo Rationis essent Propositiones contradictoriæ. Tum quia In Propositionibus Contradictorijs saluatur vis Contradictionis vt distinctis à Contrarijs, absq; eo quòd sint determinatè veræ vel falsæ, sed indeterminatè solum & sub disiūctione, in quo tam Contrariæ quàm Contradictoriæ parificantur. Tum quia pro statu Possibilitatis daretur aliquod futurum, cùm non repugnet enunciari futuritionem de aliquo pro statu Possibilitatis rerum, sicut nec repugnat enuntiari existentiam pro statu futuritionis.

XIV

EX assensu Præmissarum necessitatur intellectus, quoad exercitium circa assensum Conclusionis. Tum quia Actu illuminatur intellectus circa Conclusionem assentiendo Præmissis, illuminatione illatiua, quæ habetur ex assensu Minoris prout determinantis Maiorē. Tum quia Præmissæ Demonstrationis, concurrunt non tantum ad actu cognoscendam veritatem Consequentis, sed etiam ad bonitatem Consequentiæ vt actu cognoscatur ab assentiente, ex certa Præmissarum dispositione. Tum quia Voluntas non potest intellectum retrahere, per assensum Præmissarum vltimò applicatum, vt potè Instantaneam & naturalē causam, quæ pro instanti indiuisibili ponit actum pro quo est applicata.

XV.

ACtualis Scientia stare non potest cum actuali Opinione in eodem intellectu circa idem, etiam ratione diuersi medij. Tum quia non potest intellectus esse absolutè certus de re, ex medio scientifico, & simul absolutè incertus ex medio Opinatiuo. Tum quia illatio veritatis à diuerso medio non est eadem, sed alia & alia: vnde respectu intellectus non est idem, vbi est alia & alia considerata veritas. Tum quia diuersitas medij Oppositionem Scientiæ & Opinionis non tollit, in eodem intellectu, sicut Diuersitas Causæ sufficiens non est ad tollendam oppositionem effectuum in eodem subiecto.

VERITATES PHILOSOPHIÆ NATVRALIS.

I.

MAteria prima, est pura potentia Physica, nullam de se importans propriam & partialem Existentiam. Tum quia Materia Prima est Substantia essentialiter incompleta. Tum quia talis Existentia, esset ex suo conceptu potentialis physicè, & magis potentialior ipsa Existentia vt sic. Tum quia Materia Prima priuata omni formâ naturaliter non potest permanere in esse; quòd tamen haberet naturaliter, à sibi coæua & intrinseca Existentia.

II.

FOrma Substantialis Corruptibilis rerum genitarum educitur ex Materia. Tum quia Forma substantialis cùm educatur per generationem, præsupponit Materiam. Tum quia propter esse materiale, continetur in potentia materiæ. Tum quia forma substantialis dependet à Materia.

III.

TOtum Physicum non distinguitur à Materia & Forma vnitim sumptis, tanquam aliqua tertia realitas & Entitas ex illis simul sumptis resultans. Tum quia impossibile est quod Totum Physicum faciat numerum cum Materia & forma vnitim sumptis, cum non vniat nec vniatur, sed sibi eas identificet, & identificetur. Tum quia non potest Vnio Totius Physici, cum Materia & forma vnitim sumptis ordinari ad totū Physicū constituendū. Tum quia Totum Physicum non potest vniri Materiæ & formæ vnitim sumptis, vt eas perficiens nec secundum esse Substantiale nec Accidentale.

IV.

CAusa Efficiens non est, nec esse potest Operatiua per suam formam substantialem, sed solùm mediante formâ Accidentali tanquam potentiâ & virtute. Tum quia Forma substantialis non est in eodem genere cum Operatione. Tum quia in creatis non potest esse idem, immediatum principium essendi & operandi, ex diuersitate specificationis. Tum quia Causa Efficiens, esset semper actu operans, cum forma substantialis nequeat per seipsam esse in potentia, ad operationem.

V.

CAusa Finalis rationem formalem, sub qua finalizat, habet ipsam realem bonitatem replicatiuè, vt talem, non autem ipsam apprehensionem bonitatis. Tum quia Bonitas finis sumpta specificatiuè à varijs attingitur potentijs, at sumpta reduplicatiuè determinatur ad voluntatem. Tum quia ratio formalis *sub qua*, non potest esse ipsa apprehensio bonitatis, cùm conueniat alijs à fine. Tum quia variata in fine specificè, ratione apprehensi, v. g. DEI cogniti, vel obscure per Fidem, vel clarè per Lumen gloriæ, manet idem essentialiter Actus Charitatis, qui est ad DEVM, tanquàm ad finem; iam verò variata ratione formali *sub qua*, non potest non variari essentialiter actus, qui est ad illud.

VI.

NOn potest motus esse identificatus, cum termino *ad Quem*, sed debet ab eo realiter modaliter distingui. Tum quia multiplicato motu non multiplicatur terminus *ad Quem*, sicut multiplicato Passiuo fieri, res quæ fit manet vna; iam autem non potest esse inter ea identitas, quorum vnum multiplicatur, manente altero immultiplicato. Tum quia, id quod fit, non potest sibi identificare id Quo fit, sicut id Quod facit, & id Quo facit in creatis non identificantur, ne actus primus cum actu secundo identificentur. Tum quia stante identitate Motûs cum termino, duo inter se distincti motûs identificarentur cum eodem termino, v. g. Motus Generationis & Reproductionis cum vno entitatiuè homine.

VII.

COntinuum non componitur, nec componi potest, ex solis indiuisibilibus. Tum quia Indiuisibile additum indiuisibili, non facit maius. Tum quia componitur ex illis quorum extrema sunt vnum: iam verò indiuisibilia carent extremis. Tum quia indiuisibilia se tangunt penetratiuè: quòd repugnat componentibus continuum, vt porè maiorem locum occupantibus, vt tangentibus se & simul sumptis.

VIII.

IMplicat dari in rerum Natura infinitum in actu, siue in magnitudine, siue in multitudine, siue in Intensione. Tum quia Infinitæ magnitudinis Corpus, à Quantitate habens principium intrinsecum localis motus, ab eadem simul haberet impedimentum ad localem motum, tàm Rectum, cum partem loci deserere, & aliam de nouo acquirere non

posset, tam Obliquum, cum vna pars non possit transire ad locum alterius ob infinitam distantiam inter quamlibet partem determinatam. Tum quia si infinitum secundùm multitudinem, esset protractum ad instar lineæ in infinitum, secundùm longitudinem, tunc si conuoluatur in cumulum, repleret omne spatium possibile; & tunc Axioma, Non potest pars, æqualis esse suo toto, falsificaretur. Tum quia admissâ Intensione infinita, daretur Virtus substantiæ creatæ infinitè actiua, nam intensa Qualitas est virtus substantiæ creatæ.

IX.

POssibile non est etiam de Potentia DEI absoluta, quod idem Quantum sit Circumscriptiuè in varijs locis. Tum quia, idem Quantum esset sibi ipsi contiguum, vbi loca contigua essent. Tum quia vna Quantitas, non potest à se emanare, nisi vnam extensionem localem, quia alterius etiam supernaturaliter non est capax, cum naturaliter non sit alterius capax. Tum quia impossibile est in eodem Quanto multiplicari extensiones locales, ratione replicationis eiusdem Quanti.

X.

MVndus potuit produci ab æterno, quantum ad Entia permanentia. Tum quia hoc non repugnat nec ex parte DEI creantis, qui suum effectum præcederet non duratione sed naturâ. Tum quia Creaturæ non repugnat Æternitas per participationem. Tum quia Diuinæ Voluntatis determinatio libera, non fit in tempore sed est æterna.

XI.

IN Generatione & Corruptione compositi, fit resolutio vsq; ad Materiam Primam. Tum quia subiectum accidentium est sola substantia completa, vt potè directè ponibilis in prædicamento: quod non competit Materiæ Primæ. Tum quia si esset subiectum v.g. Quantitatis, forma substantialis adueniens Materiæ iam quantæ, non tribueret esse simpliciter & absolutè substans alijs omnibus. Tum quia, si saltem Quantitas remaneret; ex hoc, quod subiectum Quantitatis habet ex vi illius posse recipere, Vbi diuisibile & occupare locum diuisibiliter, concluditur, tale subiectum esse solùm Compositum, & non Materiam Primam.

XII.

INtensio Qualitatis non fit per additionem partialis Qualitatis, sed solùm per maiorem eiusdem Qualitatis radicationem. Tum quia tales partes superadditæ nec essent Essentiales cum sine qualibet illarum saluetur Essentia Qualitatis; nec Integrales, quia partes Qualitatem intendentes reddunt, ipsam perfectiorem in ratione formæ, quod non præstant partes integrales. Tum quia subiectum potest magis ac magis eidem Actioni subijci agentis, & per hoc magis reduci ad actualitatem eiusdem entitatiuè Qualitatis, magisq; fieri vnum cum illa, sine additione partiali. Tum quia dum tota Qualitas supponitur communicata, & non totaliter, seu secundùm omnem sui virtualitatem, tunc haud dubiè intenditur sine additione per solam radicationem maiorem.

XII.

RArefactio & Condensatio fiunt per hoc, quod per se terminentur ad Qualitatem quandam ex quo ortum habeat maior illa vel minor extensio. Tum quia non fiunt per terminationem ad partialem Quantitatem, alias tunc Rarum non parum sed multum haberet materiæ, cum crescentibus dimensionibus cresceret materia. Tum quia non terminantur per se primo ad extensionem localem s. maiorem in raro, minorem in denso, cum tàm raritas quàm densitas sint per se primò pertinentes ad partes corporis in ordine ad se, possunt stare sine omni extensione, vt patet in corpore CHRISTI DOMINI in Eucharistia. Tum quia Motûs Rarefactionis, Condensationis, sunt motûs per se disponentes ad generationem, idem sunt essentialiter cum alteratione, quæ per se primò terminatur ad Qualitatem.

XIV.

FOrmæ Substantiales Elementorum non manent formaliter in Mixto. Tum quia Mixtum est vnicum Compositum substantiale cui vnica debetur forma substantialis. Tum quia Mixtum esset Ens per accidens constans pluribus entibus completis Tum quia forma Mixti & forma Elementi eandem occuparent materiam; quod est impossibile.

XV.

REproductio respectu eiusdem Numero, compositi corrupti non datur naturaliter completa reuolutione firmamenti. Tum quia nunquàm eædem Numero Syderum combinationes sunt rediturae, quamuis mundus vt nunc est, perseuerasset in æternum. Tum quia illæ influentiæ non essent eædem Numero completa reuolutione firmamenti, sed solùm eædem specie. Tum quia illi aspectûs non reperirent sublunaria in eodem statu & dispositione ac præcedentes, ideo nec similes effectûs producerent.

VERI-

VERITATES ENTIS VITALITER MOBILIS.

I.

ANima Rationalis est actus primus corporis physici organici potentiâ vitam habentis rationalē. Tum quia Anima Rationalis, est vera forma substantialis & principiū radicale essendi & operandi. Tum quia homo est verum compositum physicum, cui alia non potest assignari forma, nisi anima Rationalis. Tum quia anima Rationalis, cùm sit media inter formas spirituales & materiales, vt conuenit cum formis purè spiritualibus est subsistens vt *Quod*; & vt conuenit cum formis materialibus est subsistens vt *Quo*, dùm subsistentiam suam corpori communicat.

II.

ANima vna est in homine, & in omni viuente, vna forma substantialis. Tum quia vnica manens præstat gradum viuendi & sentiendi, vt potè superior, continens per æquiualentiam inferiores. Tum quia Omnis forma substantialis secunda, non respiceret Materiam Primam vt suum immediatè susceptiuum, sed respiceret formam primò informantem Materiam. Tum quia præter formam substantialem, admissâ in Materia formâ Corporeitatis, per quam Materia constitueretur in linea substantiæ corporeæ, forma substantialis accidentaliter adueniret Materiæ; ipsaq; Corporeitas quamuis esset in potentia ad alias formas nobiliores, tamen esset quid completum, nam etiam subiectum est in potentia ad Accidentia, & tamen est quid completum.

III.

ANimæ hominum & animalium perfectorum sunt formaliter indiuisibiles. Tum quia anima sicut non est Quanta ratione sui sed ratione subiecti Quanti, ita nec est diuisibilis ratione sui sed ratione subiecti; subiectum autem animalium perfectorum quòd est Corpus Organizatum, est formaliter indiuisibile. Tum quia Oportet animam proportionari suo subiecto formaliter Indiuisibili, sicut & omnem actum suo receptiuo. Tum quia pars separata ab animali perfecto non exercet Operationes vitæ; & dum reunita viuit, tunc à Priuatione non totali, sed partiali datur regressus ad habitum.

IV.

POtentiæ cuiuslibet animæ specificantur ab actibus immediatè, & ab obiectis formaliter sumptis mediatè. Tum quia potentiæ animæ ordinantur ad actus & obiecta essentialiter: quæcunq; autem essentialiter ad aliquid ordinantur, talem debent sortiri speciem essendi, qualem exigit illud ad quod ordinantur. Tum quia res ab eo habet vnitatem & distinctionem à quo habet entitatem, quam vt specificam potentiæ cùm sint de linea relatiuorum, desumunt ab actu & obiecto. Tum quia Actus vt intentus, habet rationem finis non vltimi, & Obiectum vltimi, per modum specificatiui extrinseci; Intrinsecum autem specificatiuū potentiarum est habitudo & coaptatio, seu ipsamet Entitas potentiæ tali modo disposita qualem exigit actus & obiectum.

V.

POtentiæ Nutritiuæ terminus est Substantia materialis, sine Quantitate nullas habens partes actu integrantes. Tum quia partes integrantes sunt effectus formalis Quantitatis, qui est ipsa forma vt communicata. Tum quia illæ partes distinctæ in Substantia si darentur, nec possunt haberi à forma, quia hæc tantùm est principium distinctionis Specificæ; nec â materia, quia hæc cùm sit pura potentia non potest esse principium actu distinctiuum in partes. Tum quia Substantia de se habet partes tantùm radicales, inquantum est radix Quantitatis; vnde Substantia ex seipsa est distinguibilis in partes radicales, exercitium tamen illius distinctionis competit Substantiæ, sub statu Quantitatiuo.

VI.

OMnes Potentiæ & sensus, siue interni, siue externi, indigent Speciebus. Tum quia per solam præsentiam extrinsecam Obiecti nec possunt fæcundari, nec determinari, & aliàs organum illorum opprimeretur à quantitate Obiecti. Tum quia Obiectum concurrit actiuè vnà cum potentia ad notitiam, non per Entitatem extra existentem, sed per speciem Intentionalem in potentia receptam. Tum quia species intentionalis quamuis in esse Entitatiuo & vt accidens est, pro se informet potentiam: attamen vt intentionaliter transformat potentiam in Obiectum, stat pro alio s. pro Obiecto mediante ipsâ potentiæ vnito.

VII.

ANimæ Rationalis nobiliores potentiæ sunt, intellectus Agens & Possibilis, realiter inter se distincti. Tum quia inter agens & passum debet esse realis distinctio, aliàs idem secundùm idem, esset in actu & potentia. Tum quia Agens producit Species, Possibilis productas supponendo intelligit; intelligere autem & producere, sunt actus diuersi. Tum quia Obiectum intellectus Agentis sunt res materiales in potentia intelligibiles, vt eas actu intelligibiles reddat: iam verò Obiectum intellectus Possibilis sunt res vt actu intelligibiles.

VIII.

INtellectio & Verbum distinguuntur realiter. Tum quia Actio realiter distinguitur à termino per eam producto, & realiter procedente tanquam quid ad intra, & ab ea dependente: vnde intellectio est id Quo seu actualis manifestatio Obiecti Actiua, & Verbum est id Quod seu actualis manifestatio Obiecti Passiua. Tum quia Intellectio est fieri verbi. Tum quia Intellectio non est similitudo formalis expressa Obiecti.

IX.

IN omni intellectione creata naturali formatur verbum. Tum quia intima vnio Obiecti in esse intelligibili, & præsentia intelligibilis Obiecti habetur solùm beneficio intellectus formantis verbum. Tum quia Obiectum Spirituale v. g. Substantia Angeli seipsum cognoscentis, absq; verbo solùm est præsens secundùm esse naturale, quòd non est abstractum ab Existentia. Tum quia Obiectum vt in actu secundo sit præsens intentionaliter, debet esse vltima actualitas: quòd sine verbo soli competit Essentiæ Diuinæ.

X.

DIctio & Intellectio non sunt duæ actiones realiter distinctæ. Tum quia solùm inter se distinguuntur, quatenùs Dictio immediatè respicit Verbum, à notitia intellectus originatum, Intellectio verò respicit rem intellectam. Tum quia sicut intellectus intelligendo format Verbum quod procedit ab intelligente, secundùm suum intelligere, ita intellectus dicendo format Verbum quod procedit à dicente secundum suum dicere. Tum quia Dictio est actio intellectus possibilis essentialiter ordinati ad intellectionem: vnde intellectus dicendo cognoscit Verbum & in illo contemplatur obiectum.

XI.

VOluntas habet formaliter libertatem. Tum quia voluntatis præcipuus actus, s. Electio subiectatur in ipsa, cum sit immanens. Tum quia actus qui solùm ab intellectu elicitur, necessitatur ab obiecto ex principijs naturalibus; Electio autem voluntatis non necessitatur sic, cum possit vnum assumere & aliud obiectum relinquere. Tum quia Electio est actus dominij quòd formaliter reperitur in voluntate.

XII.

PRoxima & immediata radix Libertatis in voluntate est indifferentia iudicij à ratione proueniens. Tum quia stante indifferentia iudicij voluntas non potest impediri necessariò nisi tàm Operatio quàm potentia ad oppositum impediretur. Tum quia indifferenter proponitur Obiectum voluntati, voluntas ab illo indifferenter moueri debet, sicut respectu Obiecti determinatè propositi, moueretur determinatè. Tum quia dictamen iudicij est cum aduertentia voluntatis, ita vt ex vi propositionis possit operari vel omittere operatonem: ablata autem tali aduertentia propositio Obiecti est naturalis & indeliberata, vt patet in actibus nostris primò primis. XII.

VOluntas cæteras potentias mouet imprimendo illis aliquid reale. Tum quia voluntatis operatio immanens, est virtualiter transiens, & ideò potest habere effectum Extra se, ad quem potentia inferior non est permanenter ordinata, ratione motionis illius, nisi quamdiu potentia superior voluerit. Tum quia voluntas dùm applicat potentias inferiores ad operandum secundùm propriam virtutem per motionem realem, tunc diuerso modo fiunt actiones à potentia inferiori quando subordinantur in sua applicatione voluntati (quàm dùm non subordinãtur)tunc enim subordinãtur fini Potentẽtiæ superioris,& ab illius procedunt imperio. Tum quia ille actus fit voluntarius, & virtute voluntatis impellantis potest dimitti aut retardari; quòd alij actus voluntati non subordinati non habent.

XIV.

VOluntas tantùm à DEO clarè viso necessitari potest, tàm quoad specificationem, quàm quoad exercitium. Tum quia voluntas videntis DEVM clarè per Essentiam, videt omne bonum, simul enim inhæret fini & his quæ sunt ad finem. Tum quia viso summo Bono euidenter non potest proponi cessatio ipsum amandi, nisi proponatur cessatio volendi beatitudinem. Tum quia Omnis potentia à suo Obiecto adæquato necessitatur, quoad specificationem, & ex suppositione applicari, quoad exercitium.

XV.

VOluntas non est nobilior intellectu. Tum quia Obiectum intellectus cum sit Vniuersaliùs, s. verùm, dicitur de quolibet ente etiam possibili & Mathematico, Bonum autem dicitur tantùm de Ente ad Existentiam contracto. Tum quia Intellectus mouet voluntatem quoad Specificationem, voluntas autem mouet intellectum quoad Exercitium. Tum quia voluntas consequitur intellectum sicut secundaria proprietas, intellectus autem dimanat immediatè ab Essentia animæ, cuius perfectionem magis participat.

VERI-

VERITATES SCIENTIÆ TRANSNATVRALIS.

I.

ENs Reale Analogum est vtrâq; Analogiâ, ad DEVM & Creaturas, ad Substantiam & Accidens. Tum quia ex parte Analogiæ Proportionalitatis, Ens Reale est omninò transcendens sua inferiora, cum quibus non facit numerum. Tum quia ex parte Attributionis, datur partim Dependentia Creaturarum à DEO, Accidentis à Substantia: partim Inæqualis participatio, nam DEO essentialiter, Creaturæ verò per participationem conuenit Entis realis ratio. II.

VNitatem Indiuiduationi Specificæ, admixtam Substantia Immaterialis completa radicaliter & inadæquatè accipit à propria Essentia, per ordinem ad Subsistentiam. Tum quia Essentia Angelica, vt dicens ordinem Transcendentalem ad Subsistentiam, constituit radicaliter Angelum indiuisum in se, & diuisum à quocunq; alio, cum Essentia Angelica non subsistat vt Quo, nec radicet Subsistentiam nisi vt indiuidua. Tum quia Essentia Angeli est quid intrinsecum, ac prima radix Subsistentiæ & Personalitatis.

III.

PRimarium Entis creati constitutiuum, siue primus conceptus & prima radix constituens rem condistinctam à DEO in Entitate finita & limitata, non est ipsum esse ab alio, scilicet à DEO. Tum quia prius est in Ente creato esse intelligibile, quàm esse producibile: & prius intelligitur à DEO, quàm producatur liberè, vnde sicut esse intelligibile non est primum, quòd reperitur in ente creato, nam intelligibilitas & veritas sunt passiones, ita & Esse producibile ab alio, non est primarium constitutiuum Entis creati. Tum quia nos cognoscendo entia creata, & eorum Essentias, per habitum primorum principiorum, illas apprehendimus sub ratione Primi: iam verò Ens ab alio, apprehenditur formaliter sub ratione posterioris & principiati. Vnde sequitur: Quòd Constitutiuum entis creati, & prima radix constituens rem distinctam à DEO in Entitate finita & limitata est aliqua compositio realis, ex qua habet Entitas creata non sibi aliam & aliam identificare, seu Primus conceptus Entis creati consistit in eo, quòd sit realiter compositum aut componens. IV.

PRima omnium rerum Causa DEVS, omnes causas secundas præmouet vt agant præmotione Physicâ, siue concursu præuio prioritate Causalitatis Efficientiæ veræ & propriæ. Tum quia datur ex parte DEI concursus, (qui est Substantialis actio,) identificatus cum DEO, & est Ens per Essentiam, ad quem actio Causæ Secundæ comparatur tanquam effectus, & terminus. Et talis Concursus cum non possit esse simultaneus, (alias idem ad seipsum terminaretur in linea producibilitatis) debet esse omninò Præuius. Tum quia DEVS conseruat rationem in concurrendo Agentis primi & primæ Causæ, vnde admisso solo concursu simultaneo, qui indiuisibiliter idem est cum actione Causæ secundæ, non deberetur dependentia Causæ secundæ à DEO in ratione actualis Causæ.

V.

CAusa cui physica deesset Præmotio, esset adhuc verè & expeditè potens. Tum quia non requiritur Physica Præmotio nisi tanquam applicatio siue applicatiuum potentiæ, quæ supponitur applicabilis sine sui applicatione. Tum quia Causa sine Præmotione, non excusatur ab omissione actûs, ratione solius expeditionis ad operandum; Præmotio autem non ad statum Causæ vt expeditæ, sed vt Operantis pertinet, quia est essentialiter connexa cum Operatione. Tum quia Correlatiuum potentiæ expeditæ, est actus vt possibilis, ideòq; Causa supponitur expedita sine Præmotione.

VI.

PRæmotio Physica omninò componitur & conciliatur cum libertate. Tum quia DEVS determinat nos ad modum liberi, omni seclusa Scientia Media, à qua non pendet actus nostri sub ratione liberi, cùm vt tales cadant sub Obiecto Omnipotentiæ præintellectæ in DEO ante omnem Scientiam Mediam. Tum quia non repugnat stare simul potentiam ad oppositum, cum positione actûs ad quem datur Præmotio, nam positio vnius actus & potentia ad actum oppositum, non sibi opponuntur contrariè. Tum quia voluntas quantumcunq; præmota, potest non ferri ad actum siue obiectum prout cognitum; respectu cuius sicut datur indifferentia ex parte intellectus, ita & ex parte voluntatis, tanquam boni particularis. VII.

EX eò quòd DEVS ad materiale peccati præmoueat, non propterea præmouet ad formale. Tum quia ipsum materiale peccati quia sic explicat solàm realitatem & actualitatem physicam, est Ens à DEO Primo Principio participatum, ipseq; DEVS est vltimus finis, materialis peccati; absq; eò quòd sit finis formalis illius: tum quia omne quòd

est ad DEVM tanquam ad finem, cum sit ad finem debitum, bonum est: tum quia stabiliri solet formale peccati in ipsa auersione & deordinatione à DEO tanquam à debito fine. Tum quia ad id non præmouet DEVS, ad quod se solùm habet Permissiuè: & hoc modo in peccato Commissionis, formale s. Deficere, vt potè alterius generis ab Efficere, respicitur à DEO. Tum quia peccatum sumptum formaliter est in genere moris: DEVS autem, præmouens ad materiale peccati quia operatur iuxta exigentiam naturæ vt detur locus actioni defectibili, non potest attingere esse morale.

VIII.

DIuus AUGUSTINUS & D. THOMAS Physicam Præmotionem agnouerunt. Tum quia D. Augustinus illam docet, Libro de Correptione & gratia cap. 14. *Cum autem homines &c. &c.* Et Lib. 5. de Ciuitate DEI cap. 9. In Libris de Diuinatione &c. vbi post pauca hæc habet: DEVM *dicimus omnia scire, antequam fiant & voluntate nos facere quicquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus.* Et aliis in locis frequentissimè, Omnipotentissimã, Inuincibilem, infallibiliter operantem, Creantem, Dominantem, Applicantem, Vniuersalissimam, Liberrimam, laudans Diuinam Virtutem. Jam verò Authoritates Doctoris Angelici conglobatas expressè Præmotionem Physicam stabilientes, videre est apud Magistrum Joannem Baptistam, Gonet Tomo tertio Disput. 6. A. 2. ¶. Primo. 2. & 3.

IX.

NOn tantùm Præmotio sed etiam Prædeterminatio, sub expressis terminis est iuxta mentem Doctoris Angelici. Tum quia 3. contra gent: cap. 90. in fine loquitur. Diuum Damascenum explicans sic: *Id quod docet Damascenus quòd ea quæ sunt in Nobis* DEVS *prænoscit, sed non prædeterminat, exponendum est vt intelligatur; ea quæ sunt in nobis* DIVINÆ DETERMINATIONI *non esse subiecta quasi ab ea necessitatem accipientia.* Item. Quodlib: 12. A. 4. subscribit sententiæ illorum, qui dicunt *à Prouidentia Dei omnia esse* PRÆDETERMINATA. It: in D. Dionysiũ de Diuinis Nominibus cap. 5. Lectione 3. ait: *Huiusmodi Rationes Sancta Scriptura vocat* PRÆDEFINITIONES *siue* PRÆDESTINATIONES *secundùm Rom. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit: Et vocat etiam eas bonas voluntates secundùm Psal: Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. Quæ quidem* PRÆDEFINITIONES *& voluntates, sunt distinctiuæ Entium & effectiuæ ipsorum, quia per huiusmodi rationes supersubstantialis* DEI *esse* PRÆDETERMINAVIT OMNIA, *& produxit.* Quid hoc testimonio clarius? Ergo Pater Henao S. J. historiam in Prælectionibus Patris Joannis Morawski, Disput: 4. Qu: 7 de Scientia Media, fol: 292. (Anno 1674. Mense Junio Calissij impressis) allegatam somniauit, cùm incredibile sit Virum Doctissimũ Thomistam (qualis erat Reuerendissimus P. Thomas Turcus, Generalis Magister) in Doctore S. positas authoritates non legisse. Vnde Patrem Hen: & similes, Pater Nicolai 1. 2. Qu: III. in Sholiis ad Artic: 3. ita alloquitur. *Iam quòd admitti non debeat* (PRÆDETERMINATIO) *quia destruit libertatem, dormitantium phantasma est: & quod eam non admittere sit Angelicum cogitatio vix humana. Destruit certè libertatem, si est talis, qualis ab eis per somnium fingitur, indifferentiæ actiuæ opposita; si ad hanc partem sic affigit, vt potentiam ad alterutrum tollat; si sic impellit vt repelli à voluntate abijciq; non possit. Sed cur in voce ludunt vt illudant nisi & illuduntur ipsi?*

X.

PRÆDETERMINATIO & Præmotio, à D. Augustino tradita, à Doctore Angelico propugnata, est ex fonte S. Scripturæ deprompta. Tum quia Prouerb. 21. dicitur. Cor Regis in manu Domini quocunq; voluerit vertet illud. Vnde Augustinus Lib. de Correp: & Gratia Cap. 14. Dominus faciat ipse quod vult, quandoquidem de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult facit: sine dubio HABENS HVMANORVM CORDIVM INCLINANDORVM OMNIPOTENTISSIMAM POTESTATEM It: Joan: 15. Sine me nihil potestis facere. Vnde D. S. 3. contra Gent: cap: 149. concludit. *Impossibile est esse aliquem rectum motum in ipsa* (Anima) *quem non* PRÆVENIAT ACTIO DIVINA. Item ait Apostolus: *Elegit nos ante mundi constitutionem: & ante sæcula decreuit, qualiter per sæcula disposuit,* inquit Gregorius in Moralibus. Quod ergo prædeterminauit prioritate æternitatis, & vt exequi dignetur prioritate Causalitatis Sacrosanctæ suæ Ecclesiæ CHRISTVS JESVS oblatas benignè exaudiat voces. DOMINE PLACARE: & ad te nostras etiam rebelles COMPELLE propitius voluntates. TIBI LAVS, TIBI GLORIA, in sæcula sæculorum, Amen.

Præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis INCONCVSSA TVTISSIMAQVE DOGMATA. Alexander 7. in Breui ad Doctores Louanienses, 7. Augusti, Anno Pontificatus 6.

Disputabuntur in Generali Studio Cracoviensi Conuentus SS. TRINITATIS, Ordinis Prædicatorum. Obiectis satisfaciet R. P. F. HIERONYMVS MIELONSKI, Sub Præsidentia R. P. F. DOMINICI FRYDRYCHOWICZ, S. Theol: Lectoris, in eodem Studio Philosophiæ Professoris, Ord: Prædicatorũ. Anno Domini 1681. Mense Die



XX. 1. 29.